



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. LIV. Orationi Vocali quàm esset deditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

betur rebus magnis, rebus insolitis, & subinde post hunc etiam aliis locus conceditur. Sic omnino par est rem se habere in eo, de quo agimus. Cùm contempler, non jam divinam Pulchritudinem, nec enim hanc oculorum meorum acies ferret, saltem Bonitatem DEI in me, primo loco valde admirari me convenit, deinceps autem aliis etiam affectibus possum indulgere.

## §. LIV.

*Orationi Vocali quàm esset deditus?*

**N**Equè tantùm mentalis Orationis operâ suum in DEUM amorem, & devoti animi studium fovebat P. Paulus, sed & Oratione, quam, quia voce peragitur, Vocalem dicimus. Crebrò admodum usurpabat varias breviores ejusmodi orationes, quæ quòd jaculi instar cælum petant, Jaculatoriarum nomen acceperunt; quarum ille bene longum catalogum è Psalmis, & aliis Sacrarum Litterarum locis excerpserat. Quotidianum Sacerdotum pensum sacrum de genibus lentè admodum recitare solenne ipsi erat, & quæ ore promebat verba, intimis animi sensis comitabatur. Ut viva semper animo mortis memoria, quæ tanti momenti est, obversaretur, sæpe recitabat preces, quas morti proximis prælegi vult Ecclesia, seque sibi repræsentabat, ut jamiam constitutum illo momento, ex quo sortes nostræ per totam, quàm longa est, æternitatem dependent. Nec omittebat Sanctissimam DEI Matrem ad globulos salutare, hujus enim honori erat planè devotus, càmque delegerat principem felicitatis Sacrarum suarum Excursionum exitus Patronam; utque Populum Christianum ad pietatem

tem in hanc Cæli Dominam excitaret, typis edi curavit aureum illum suum libellum, quem *Devotum Mariæ Virginæ* indigitavit. Quin extremum operum ejus, cujus filum simul cum vita mors intercudit, fuit expositio egregia Canticæ *Magnificat*. Dum foris laboribus illis suis Apostolicis occupabatur, nullo non die recitabat preces bene longas, quas ipse sibi conscripserat, plenas sensus & affectibus insignibus ad petendas à DEO illas gratias, quæ ad Ministerium tam sanctum magis necessariæ ac opportuna sunt. Addebat his omnibus frequentem lectionem librorum sacrorum, & præ ceteris jucundæ semper ipsi erant *Vita Sanctorum*; unde eolverat à capite ad calcem sex illa ingentia de Divorum gestis Laurentij Suriij volumina, præter complures Sanctorum postremæ ætatis Historias; ad quas lectitandas crebrò etiam alios incitabat, professus, se quamcunque demum viæ spiritualis notitiam haberet, non aliunde, quàm ex his purissimis fontibus hausisse. Et verò videbatur DEUS hoc illi potius, quàm quocunque alio adjumento concessisse admirandam illam discernendorum Spirituum gratiam, quæ nunquam non bellissimè hoc in genere noverat discernere aurum verum à fictitio; sic ut aliquando in primo mox congressu retegeret artificiosissimam hypocrisin celebris cujusdam personæ Religiosæ, quam passim alij ut Seraphinorum æmulam venerabantur: etsi subinde rescitum est, infami cum malo Dæmone commercio implicitam fuisse; eaque causâ à morte cadaver ejus sub aliqua horti Cœnobialis arbore terræ infossum; nec multo post eruta humo ossa justâ Sacrorum Quæditorum sententiâ igne ablumpta sunt.